
DE LAUDIBUS LEOPOLDI PILLAE ORATIO HABITA 3. IDUS NOVEMBR. A...

Michele Ferrucci







DE LAVDIBVS
LEOPOLDI PILLAE
ORATIO

HABITA III IDVS NOVEMBR. A. MDCCCXXXXVIII

IN ACADEMIA PISANA

QVVM

disciplinarum studia sollemniter instaurarentur



PISIS
EX OFFICINA PIERACCINIANA
A. MDCCCLXII

OCTAVIANO FABRICIO MOSSOTTO

V · C ·

COOPTATO INTER SENATORES REGNI ITALICI
E PROCERIBVS ORDINIS EQVESTRIS MAVRITIANI LAZARIANI
EQVITI ORDINIS CIVILIS SABAVDICI
EQVITI IOSEPHIANO OB MERITA
DOCTORI GEODAESIAE ET MECHANICES CAELESTIS
IN ACADEMIA PISANA

MICHAEL FERRVCCIVS

Ego vero quum oratiunculam, quam tredecim fere abhinc annis exaravi, paullo postquam a ferro et acie discesseram, atque in sollemni Academiae nostrae conventu, quum doctrinarum studia de more instaurarentur, e superiore loco recitavi, in vulgus emittere haud inopportune, ut arbitror, constituerim, eamdem nisi tibi, Mossotte mi praestantissime ac suavissime, inscribam, non solum mihi ipse displiceam, sed in omnium tum collegarum, tum amicorum, quos communes habemus, iustam reprehensionem incursurus mihi videar. Cuinam enim potius,

quum tibi illam deferrem, quae quum in Pilla nostro laudando potissimum versetur, laudes etiam necessario complectitur strenuissimorum adolescentium, qui nobiscum una profecti et contra infestissimos italicae libertatis hostes pro aris et focis acerrime praeliati, praeclaram enimvero et invidendam, sed patriae, optimis disciplinis bonisque omnibus calamitosam mortem in ipso pugnae ardore occubuerunt? Atqui nemo est quem fugiat te nostrae cohortis ducem praefectumque egregium in tumultuaria illa expeditione fuisse; tuaeque adeo virtuti sapientiaeque acceptum referendum quidquid decoris et laudis ex castrensi disciplina constanter servata, ex invicta longaque omnis generis laborum patientia, ac demum ex diu fortiterque repulso maximarum in nos irruentium copiarum impetu domum reportavimus. Cuius quidem memorandi praelii, quod quarto Kalendas Iunias anni millesimi octingentesimi quadragesimi octavi pugnatum est, quum recordor (recordor autem persaepe) fieri non potest quin et simul recorder, summum te in illo vitae discrimen adiisse; ut, re cunctis palam facta, quam ego primus omnium, quum Curtatone recederemus, animadverti, te nobis, prope dicam, divinitus servatum putaverimus: et admirabundi propterea sagum tuum, qua imas costas ad sinistrum latus contegebat, plumbeae glan-

dis ictu perforatum, glandemque ipsam in suppositum sagi sacculum nulla prorsus tui offensione delapsam contueri minime desineremus. Proinde acerbissimi moeroris, quo ex recenti nostrorum amissione cuncti premebamur, haud mediocre quidem levamentum ex mirabili tua incolumitate allatum nobis est. Tu enim ut propter eximiam in mathematicis physicisque disciplinis doctrinam non solum apud nostrates, verum etiam apud exteros iure meritoque celebraris; sic omnium, qui te norunt, animos tua ista ingenita mansuetudinis natura, oris sermonisque suavitate et insignium virtutum, quae in te elucent, modestiae in primis commendatione mirum in modum tibi devincis. Hinc factum est, ut adolescentes nostri, quum perspicere in te clarissimum quasi lumen ingenii, consilii, humanitatis persuasum iis esset, te studiose colerent, te summopere diligerent, dicto tibi audientes essent iussisque tuis propensa voluntate obtemperarent. Adeo iustam ubique venerationem habet quidquid excellit! Mihi porro de militari nostro labore cogitanti non tam gloriosum videri solet, me arma pro patriae libertate recuperanda sumpsisse, quam honorificum, me tibi, tanto scilicet viro, omnium viarum periculorumque tunc socium et saepe etiam contubernalem fuisse, meamque tibi operam quum in epistolis actisque con-

scribendis, tum in castrensibus muneribus obeundis pro virili parte navasse. Ad quem quidem honorem magnus, ita vivam, cumulus modo accedet, si oratiunculam hancce, quae iam tua est, quod de iis factis agit, quorum tu ipse pars maxima fuisti, in tuo nomine apparere sinas. Quod ne sis facturus, minime vereor; ut tamen facias, pro veteri nostra amicitia mutuaque benevolentia tanto studio abs te peto, ut maiore non possim. Cura ut valeas non tam tuo bono, quam Italiae nostrae decori atque ornamento.

E Bibliotheca Academiae Pisanae
III. Kal. Iunias a. MDCCCLXII.

Tutari Italiam, detrudere finibus hostem.
Virg. Aen. VII. 450.

. . . egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus. . .
Idem ibid. XI. 25

Nihil hominibus ab auctore bonorum omnium Deo patria iucundius, nihil carius esse tributum nemo est qui nesciat; quum nemo inveniatur, cui parentes, liberi, propinqui, familiares, commoda quibus utitur, lux qua fruitur, spiritus quem ducit carissima non sint atque periucunda. Hinc factum est, ut quam gravissimae apud omnes gentes constitutae sint in eos poenae, qui aeternae huic naturae legi repugnantes nefario se patriae parricidio obstrinxissent; insignibus e contra praemiis amplissimisque honoribus sint decorati qui patriae se totos dedissent, in eamque vel conservandam vel augendam ingenium, studium, industriam, diligentiam, laborem quacumque ratione contulissent. Itaque fuit illud sapienter in Graecorum mores invectum, ut qui cives egregie fuissent de republica meriti, ii inter urbium conditores recenserentur, eorumque memoria monumentis omne genus posteritati commendata annuis

etiam laudibus, annua ludorum celebritate deorumque ipsorum honore consecraretur. Nec sane iniuria; nulla enim re magis virtus humana nobilitatur, quam aut homines dispersos ac dissipatos in una moenia congregando, aut conditas urbes optimis legibus instituisque tum ad bonorum felicitatem, tum contra improborum audaciam libidinemque muniendo ac firmando. Sic Thesei, Solonis ac Periclis Athenis, Lycurgi ac Theopompi Lacedaemone, Rhadamanthi ac Minois in Creta, Pittaci Mitylenis, aliorumque alibi pervulgata ac celebrata nomina. Sic civilis Graecorum prudentiae aemuli atque imitatores Romani Romulum, cuius auspiciis prima Vrbis iacta fundamenta, et Numam, cuius diuturna pax iuris et religionis civitati magistra fuit, perpetua pietate coluerunt. Nec minore studio sunt prosequuti L. Iunium Brutum, ducem illum et auctorem regii dominatus a civibus suis depellendi; Marcum Tullium autem, quod Catilinariae coniurationis tela in consulatu retudisset, primum omnium patriae parentem, mirifica et ante illum diem inaudita consensione nominaverunt. Iam vero, quotiescumque ad externorum hostium vim patriae libertati infensam propulsandam, vel ad publicas iniurias ulciscendas armis decertare oporteret, nulla erant decoris ornamenta, nulla laudis insignia, quibus, bene re gesta, quum victor exercitus, tum maxime praestantiores belli duces non publice honestarentur. Huc scilicet pertinebant gratulantium populorum occursationes, plausus, acclamationes : huc festi dies indicti et supplicationes

ad deorum pulvinaria decretae; hue ovationes et triumphi, quibus Romana Respublica nihil habuit unquam splendidius, nihil magnificentius; huc etiam parta imperatoribus e devictis gentibus cognomina, hereditario iure eorum quoque liberis posterisque transmittenda. Quae pleraque quum temporaria essent, publica insuper monumenta persaepe accessere, quibus maneret fama defensae, maneret exemplum patriae defendendae. Hinc illae in celeberrimo Athenarum porticu, quae Poecile vocabatur, depictae pugnae; tropaea ex manubiis hostium constituta; ad hoc templa, arcus, simulacra, anaglypha, columnae, inscriptiones, nomismata; quorum haud pauca vetustate nondum obruta, nec barbarorum iniuriis funditus deleta, studiosissime ab archaeophilis inspiciuntur atque illustrantur, veterumque historiarum auctoritatem mirifice confirmant. Neque tamen inglorii dimittebantur, qui duces militesque fortiter dimicantes praelium minus prosperum fecissent: ne scilicet fortunae potius, quam virtuti deferri praemia viderentur. Qui vero magnae animae prodigi in acie cecidissent, iis non solum publice parentabatur et amplissima sepulcra decernebantur, sed elogiis etiam scriptisque omnis generis eorum nomina et res praeclare gestae consignabantur; ut strenuissimorum civium memoriam exciperent omnes anni consequentes, ac nobilibus exemplis excitati cives vitam et ipsi pro patria profundere, ubi occasio daretur, minime dubitarent. Ita enim natura omnes comparati sumus, ut ad magna quae-

quo suscipienda non tam ipsa rerum praestantia, quam insignium virorum aemulatione commoveamur. Quapropter quicumque hanc laudis et gloriae mercedem, quantum in eo situm est, virtuti rependere negligit, dupliciter is peccare nobis videtur; primum quidem quod debito officio iustaque gratia bene merentes fraudat; mox etiam quod domestica decora posteris ad imitandum proponenda in tenebris patitur iacere. Quorsum spectet haec mea tam alte ac tam longe repetita oratio, vel me tacente, probe iam intelligitis, Collegae praestantissimi, Auditores quotquot estis spectatissimi. Scitis enim omnes quantum damni fecerit Academia nostra in pio ac necessario bello, quod libertatis desiderio et odio diutinae servitutis contra immanissimos hostes italici nominis nuperrime gestum est. Amisimus collegam egregium, cuius fama doctrinae longe iam lateque percrebuerat; amisimus lectissimos adolescentes complures, qui hic apud nos in eodem sapientiae domicilio ad certam patriae spem et ornamentum educebantur. De eorum igitur ac potissimum de collegae nostri Leopoldi Pillae laudibus in huius diei locique celebritate nonnulla commemorare qui constituerim, consilium a vobis meum haud improbatum iri confido. Nostrum enim esse existimavi, antequam intermissam studiorum rationem de more repetamus, animabus carissimis suprema parentantium officia persolvere, et eximiam virtutem veteribus Italiae temporibus prorsus dignam omnis posteritatis memoriae pro viribus commendare.

Animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum esse considerationem contemplationemque naturae, insigne est veterum philosophorum effatum. Indagatione enim ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, quibus haec universitas continetur, erigimur et clariores fieri videmur: quum haec inspicere, haec discere, his incumbere, nihil revera sit aliud, quam supramortalis vitae conditionem attolli, atque ad tantorum operum parentem effectoremque Deum, quantum homini licet, accedere. Ex quibus studiis quum plurimum utilitatis iam inde ab antiquissimis temporibus generis humani societati sit comparatum, nihil est profecto quod miremur disciplinas disciplinarum procreatrices ex constanti diuturnaque naturae investigatione in tantum crevisse, ut omnium numerum inire, singularum originem reperire, partitionem facere maxime subtilissimique ingenii sit. Illud potius mirandum videtur in tam veteri et nunquam intermisso physicae excolendae ardore, in tam multiplici doctrinarum ad eam pertinentium varietate, doctrinam quae tota in eo est, ut Telluris, quam inambulamus, quam incolumus, quam assidue prae oculis habemus, observet explicetque extimam intimamque constitutionem et gravissimas vicissitudines, quibus quum recens adhuc, tum posterioribus aetatibus vel universa, vel modo hac, modo illa sui parte fuit obnoxia, sero admodum Geologiae nomine in lucem prodiisse, ac doctorum investigationes et studia excitasse. Cuius quidem scientiae glorio-

sum semper Etruriae erit prima quaedam hic sparsisse semina Nicolaum Stenonem Danum, qui a Magno Duce Ferdinando II. summa honoris significatione Florentiam accitus et in Mediceorum aula perdiu versatus ad Zootomiam et Naturalem Historiam sic animum appulit, ut multa antea incognita invenerit, illustrarit. Ille enim postquam in libro, cui titulum fecit *De solido intra solidum naturaliter contento*, omnium primus docuisset, primigeniae telluris superficiem, quam primitivam terram nomine designavit, distinguendam omnino esse a superinductis integumentis seu stratis, quae turbidi maris sedimenta sibi invicem imposita, ut eiusdem verbis utamur, secundarias terras appellavit; sententiam suam re ipsa comprobandam suscepit, ostendens sex distinctas Etrusci soli facies ex ea quae modo apparet facie, sex magnis aetatibus, fuisse collectas. In quo sane post tanta allata doctrinae lumina et subsidia consentiunt vel hodie geologi universi. Non est huiusce loci neque instituti mei demonstrare, nostratium praesertim ingenio et sollertia Geologiae fines latius propagatos: id tamen minime praetereundum censeo, singularem hanc italici nominis gloriam saepius a Pilla nostro in suis scriptis ab exterorum oblivione an invidia naviter fuisse vindicatam. Adeo patriae dignitatis fuit ille in re quaque adsertor et propugnator acerrimus, ut vel Geologiam ipsam pro summa, qua in Italiam flagrabat, caritate prae caeteris disciplinis dilexisse atque adamasse videatur. Etenim saepenumero, Italiam nostram ob igniferos

quos in se habet montes, ob complura quae vel hodie in Apennini tractu manifesto apparent veterum incendiorum indicia, ob innumeras denique quae diligenter perscrutantibus ubique occurrunt subterraneas divitias, cunctis regionibus praeponendam esse et scripto et voce affirmavit. De quo argumento quum sermonem aliquando mecum iniecisset, illum animadvertisse memini, hanc Italiae propriam laudem Virgilium ipsum non latuisse, quippe qui in divino Italiae elogio cecinerit:

» Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
» Ostendit venis atque auro plurima fluxit ».

Quos quidem versus quum recitasset, continuo addidit, aeris, argenti aurique rivos in montium venis ostendisse Italiam a Virgilio ea de caussa praecipue dictum, quod, ut eruditissimus Heynius recte observavit, certis tantummodo vestigiis id appareret, metalla autem exercere, teste Plinio, interdictum vetere consulto patrum, Italiae parci iubentium. Hinc Italos homines vehementer hortabatur, ut domesticos nativosque thesauros ab exteris tantum investigari, cognosci atque in lucem efferri per socordiam desidiamque ne sinerent: eosque ad hanc laudem capessendam eo acrius stimulabat, quo manifestius in dies patet civilem sapientiam et reipublicae commoda naturalium disciplinarum progressu haud mediocriter adiuvari et provehi. Neque stimulabat tantum, sed exemplo ipse omnibus praeibat. Nam quum

Venafro, ubi ortum duxerat, atque ingenue fuerat a pueritia educatus honestisque artibus ad omnem humanitatem institutus, Neapolim mature venisset, Mineralogiae et Geologiae studio, in quo et pater eius fuerat non sine laude versatus, adeo captus est, ut in illo uno quasi tabernaculum vitae suae collocare decreverit. Quapropter nihil prorsus aliud agebat, nihil cogitabat aliud, nisi de disciplina sua novis inventis augenda conformandaque; de eiusdem amore in studiosae iuventutis animis, quam privatim erudiebat, instillando; de terrarum, lapidum, aliorumque corporum, quae montes ignivomi, Vesevus in primis eiectant, collectione, quam domi suae comparare coeperat, amplificanda aptissimoque ordine dirigenda. Et uberrimum sane tulit laborum, peregrinationum et vigiliarum suarum fructum: nam compluribus in lucem editis scriptis, quibus palam ostendebatur quanta esset illius ingenii vis, quantum in naturae arcanis indagandis proferendisque acumen et sollertia, brevi effectum est, ut viro eximio Matthaeo Todio, quem in Lyceo magno Neapolitano Mineralogiae et Geologiae doctorem amantissimum habuerat, adiutor daretur, et non modo in patria cum primis inclaruerit, sed etiam extra Italiae fines eius nominis fama pervaserit. Non is profecto sum, Auditores, qui tantum mihi sumam et arrogem, ut de Pillae operibus iudicium feram. Ferent qui eidem ac ille disciplinae vacant, ferent quicumque, praeter me, eiusque singularem in Geologiae scientia praestantiam nec vulgaria in eamdem pro-

merita declarabunt illi quidem scite, intelligenterque extollent. Mihi huiusmodi doctrinarum plane rudi et ignaro satis fuerit unam hanc eius laudem ob oculos ponere, quae quo rarior in physicarum rerum scriptoribus occurrit, eo pluris, ubi in aliquo reperiatur, aestimanda mihi videtur, scriptionis nempe nitorem et elegantiam. Cuius quidem virtutis assequendae cupiditate se inflammatum sensit, quemadmodum ipse mihi ingenue fatebatur, et quum ineunte adolescentia politiori humanitati operam daret, et quum aetatis progressu in familiaritatem venit ac disciplinam Basilii Puoti Marchionis, viri de litterarum studiis, italicarum praesertim, si quisquam alius, benemerentissimi. Huius scilicet praeceptis consiliisque usus latinos italicosque optimos scriptores in deliciis perpetuo habuit, ac quidquid temporis ex gravissimis doctrinae suae commentationibus superesset, id totum animo eorum lectione reficiendo recreandoque impertire solebat. Nullum vero praeterlabi diem patiebatur, quin Virgilii vel Dantis carmina aliquot perlegeret et saepe etiam memoriae mandaret; quippe qui humanitatis studia quum praestantissima ipsa per se, tum multum delectationis et iucunditatis habere; in ceteras porro disciplinas atque artes plurimum splendoris atque adiumenti ex iis proficisci arbitrabatur. Et recte quidem: quemadmodum enim ex rerum cognitione effloreseit et redundat oratio, ita ex copiosa eruditaque oratione rerum scientia et gravitas, quaecumque subest, omnis deprehenditur et clarissima

luce enitescit. Nonne hoc idem sentiebat vir totius antiquitatis doctissimus atque omnium philosophorum gravissimus Plato, qui auditores suos, antequam eius scholam ingrederentur, Gratiis sacrificare iusserat? Atque is profecto, quum longe omnium, quicunque de philosophia scripserant, et suavitate et gravitate princeps exstitisset, Homerus philosophorum a Panaetio est appellatus. Quid, quod et Iovem sic dictitabant philosophi, si graece loqueretur, loqui. Nonne vel in hac accurate exquisiteque de difficillimis rebus scribendi facultate, Platonis vestigia, ut in plerisque aliis, persecutus est maximus ille physicarum doctrinarum amplificator ac vindex, idemque Italiae universae nedum Pisanae Academiae ornamentum longe splendidissimum, Galilaeius, de cuius e marmore simulacro hic tandem potiore sede recepto parietes huius aulae sibi gratulari videntur? Quam velim, quotquot huc ad graviores disciplinas perdiscendas confluitis, studiosi adolescentes, quam velim, inquam, illud habeatis exploratum, nullam esse adeo severam, nullam adeo abstrusam doctrinam, quae orationis apto concinnoque cultu exornari, luminibus distingui nequeat: tota via errare qui vobis temere blandientes persuadere conantur litterarum studia leve quiddam esse ac nugatorium, nihil haec omnino philosophiae, iurisprudentiae, medicinae, mathesi, physicae conducere; unam in scribendo naturam ducem, non eam arte temperatam sequi oportere. Tamquam si aliunde ars, quam a natura manaret, ipsiusque naturae

munera corrumperet, non vero absolveret perficeretque. Quid est hoc, nisi quum nitido ornatoque possis, iacondito horridoque sermone tuae mentis sensa consiliaque efferre; nisi, inventis ad vescendum frugibus, glandem praeoptare? His novae et perfacilis eaimvero doctrinae auctoribus minime assentiebatur Pilla, cui, ut supra attigimus, haud aliter ac Tullio, videbatur, quidquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere: nec, si ipsi minus consequi possumus, idcirco minus id ita faciendum esse sentimus. At vero egregia Pillae virtus adeo Principis nostri animum perculit, ut in huiusce Academiae instauratione eum prae ceteris adlegerit, cui receas institutum Mineralogiae et Geologiae magisterium deferretur: quod quidem nescio Pillaene an ipsi Principi gloriam pepererit maiorem. Huic certe acceptum referet perpetuo Academia, quod quum Pilla Pisas Neapoli concessurus aegre se a Museo tamquam a studiorum fidissimo teste, adiutore et socio divelli pateretur, illud statim sapientissimo consilio et regia plane munificentia huc asportari, et discendi cupidae iuventutis emolumeato, Academiae splendori ac dignitati obsequutus, Pisano Naturalis Historiae Museo adiici iusserit. Pilla autem quam doctor designatus concitaverat expectationem sui, eamdem, quum primum docendi muuere fungi apud nos coepit, non sustinuit modo, verum etiam longe multumque superavit. Quod munus quanta mentis acie expleverit, quanta orationis copia et

perspicuitate, quanta diligentia, qua virtutes reliquae omnes continentur, satis verbis explicare non possumus. Haud verear tamen, ne quisquam praeconcepta in collegam et amicum desideratissimum opinione ductum me veritati vel minimum addere insimulet, si affirmavero, paucos Pillam in ea laude habuisse pares, superiorem neminem, quando plerosque vestrum, qui benignas mihi aures praebetis, testes in hanc rem locupletissimos adhibere licet. Quis vero unquam de auditorum suorum progressu atque utilitate studiosior? Quid incommodi fuit, quid laboris, quod ille eorum caussa quam libentissime non susceperit? Hominem vidimus haud breves difficilesque peregrinationes una cum iis, veluti sedulus parens cum filiis amantissimis, saepe per Pisanos colles Lucanosque, interdum etiam per remotiores Etruriae montes conficere, ut nempe quae iis sermone tradiderat, singula in ipsius naturae conformatione eorum oculis subiiceret. Qua impigra docentis alacritate industriaque et scientiae promovendae desiderio mirum quantum studiosi iuvenes, ut aliquid in doctrina et ipsi proficerent, ad animi contentionem et corporis laborem excitarentur. Nulla enim mens, ut recte ait Tullius, potest incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris. Earum autem eruditarum peregrinationum quoties modo reminiscor, toties commoveri et perturbari me sentio vehementer. Nam subit continuo memoria proxime elapsi veris, quum in magnificentissimo illo expergefactae Italiae motu unum sentientes omnes,

inuun studentes externae foedissimaeque tyrannidis iugum e nostris cervicibus deiicere, quotquot in Academicam cohortem nomen dederamus, Italici exercitus subsidio repente convolavimus. Convolavit nobiscum et Pilla, cuius animum patriae liberandae cupiditate flagrantissimum nemo unquam itinerum longitudine, viarum asperitate, caeli intemperie, militari labore retardatum vidit. Retardatum dico? Novas quin imo adipisci vires, novo quotidie in patriam patriaeque salutem ardore incendi videbatur. Neque tamen studiorum suorum in tota illa expeditione oblitus unquam est; praecipue vero quum Apuanas Alpes Apenninumque iugum transgressi sumus, et ipse in sua veluti provincia versaretur, quae passim apparebant eorum montium strata notatu digniora, iis qui tum forte secum essent digito commonstrabat (nihil enim habebat amicis non apertum), suis quaeque nominibus appellans; nonnullorum etiam proprios individuosque characteres enunciabat, praesertim quum illa occurrerent quae sulphure aut sale aut metallicis opibus ditarentur. Ex quibus sermonibus doctrinae enimvero suavitatisque plenissimis fere fiebat ut in Italiae laudes delaberetur. Vt nobiscum gavisus ille est, ut lacrimas nobiscum prae laetitia effudit, quum post difficillimum tridui iter ad quartum diem summo mane, zephyro lenissimo, sereno caelo Regium Lepidi alacriter contendentes ex summo Apennini culmine celeberrima Aemiliae oppida, et immensam

rimamque, quam Padus disterminat

Alpes, Euganei colles et ultimae Adriani maris orae definiunt planitiem quasi ante pedes positam prospeximus. Quis fuit tunc in admirabili ac prope divina illius regionis specie nostrum omnium sensus? quae cogitatio? quid cupiebamus? quid optabamus? Vt tantam scilicet caeli solique pulchritudinem ex alienarum gentium dominatione ereptam armis demum in libertatem vindicaremus. Sed o fallaces hominum spes et inanes cogitationes nostrae! Nos quidem quum primum cum hoste confligendi potestas ad Curtatonem est facta, quamquam numero viribusque longe inferiores, diu tamen irrumpentis in nos validissimi exercitus impetum fortiter continuimus, ut multo sanguine illi victoria steterit, nec longius a castris eo die progredi, nedum nos e praelio recedentes persequi ausus fuerit. Imparis tamen pertinacisque propugnationis praemium tulimus nos maximum. Satis quippe temporis ex ea datum est sociis nostris, ut frequentes ad Goitum cogerentur, atque castris ibidem communitis, hostium copias postero die profligatas magna clade mulctarent, adeoque nostrorum caedem strenue ulciscerentur. In qua caede si aliae etruscorum militum cohortes plures quam nostra iacturas fecerunt, nulla profecto deflevit graviores. Amissum namque tunc deflevimus et deflemus adhuc Pillam nostrum, qui primo agmini praepositus et ad vallum cum suis intrepide versatus, quum inde recederet, gravi vulnere confossus, Italiam, quam unice vivens amave-
na mortem ipsam oppetere non me

Italiam, inquam, extrema voce compellans, ut fortes, ut magnanimos decet, occubuit. Amissos cum Pilla deflevimus et deflemus adhuc egregios adolescentes, spem quantam familiarum et Etruriae, qui aetatem virtute superantes, vehementius plerique valli aggerem transgressi et effrenatius in hostium aciem progredientes vitam et in patria et pro patria profundere dulce ac decorum putaverunt. At quid deflemus dixi? An virilis patriaeque dignitatis immemor huc conscendi, ut mulierum more omnia luctu, querelis implerem? Verum enimvero non lacrimis, non moerore, sed gratulationibus honoribusque aequum est talium virorum interitum prosequi. Quapropter quum vita mortuorum in vivorum memoria sit posita, quumque nulla iam alia gratia iis referri a nobis liceat; quod fides pietasque nostra postulat, id impense efficiamus, ut publice decretum eorum honori monumentum (*) hisce in aedibus quamprimum, incisis litteris divinae virtutis testibus sempiternis, statuatur, dedicetur. Si quis illorum quae in terris fiunt est sensus in morte, credo in beatissimo caelestium sede, in quam quicumque pro aris et focis pugnantes occiderunt recipi certissima spes est, magna nostrorum animos perfundi voluptate, quum videant se p tali conditione nominis immortalitatem esse ıuutos. At longe maiore perfundentur profe patria haec iis carissima externo dominatu do soluta, bellica gloria insignis, copi honesta erit. Quod nunquam

bit, nisi communi consensione in id unum universi conspiremus. Luctuoso superioris belli exitu edocti resipiscamus tandem, atque ab odiis, ambitione, simultatibus aliisque pravis cupidinibus vacui acceptae nuper gravissimae calamitati, quantum in nobis est, mederi studeamus. Hoc a nobis Italia, hoc maiorum fama, hoc praesertim qui sanguinem pro patria effuderunt iure quodam suo efflagitant, hoc etiam sperant. Ne, quaeso, tam iustam, tam praeclaram spem nostra stultitia irritam faciamus; ostendamus orbi, potuisse italorum virtutem adversa unius belli fortuna obscurari, obrui atque interire nunquam posse.



Serius profecto quam oportuerat, sed aliquando tamen
...om hoc monumentum in aedibus Academiae nostr...
...lebritate dedicatum est hoc eodem anno MDCCCL...
...ersaria praelii Curtatoniani. Habes hic in postre...
...epti... ...ar, quae marmori incisa in mo...

FURONO SCOLARI DELLE UNIVERSITA'
DI PISA E DI SIENA
E MORIRONO
COMBATTENDO PEL RINNOVAMENTO D'ITALIA

A Curtatone nel MDCCCXLVIII
COL PROF. LEOPOLDO PILLA DI VENAFRO

Acconci Alberto di Pisa — *Lazzeretti Enrico di Montepescali*
Barsellotti Luigi di Pian Castagnaio — *Luti Raffaello di Comcana*
Bechelli Alberto di Pistoia — *Newton Alfredo d' Irnham*
Benini Zenone di Firenze — *Parra Pietro di Pisa*
Bernini Riccardo di Livorno — *Pierotti Luigi di Pistoia*
Biagiotti Giovacchino di Firenze — *Pizzetti Ottavio di Grosseto*
Boccardi Metello di Montalcino — *Poggesi Ranieri di Pisa*
Bonfanti Roberto di Pistoia — *Sambuchi Angelo di Fivizzano*
Brilli Lorenzo di Dicomano — *Sforzi Temistocle di Livorno*
Colombi Cesare di Montepulciano — *Solimeno Giuseppe di Pisa*
Fusi Giuseppe di Massa Marittima — *Toti Torquato di Figline*
Ginnasi Giuseppe d' Imola — *Vincenti Carlo dell' Isola Rossa*
Zei Raffaello di Firenze

Nell' Italia settentrionale l' a. MDCCCLIX

Brandini Leopoldo di Pisa — *Giannetti Dante di Siena*
Carli Dario di Firenzuola — *Modiano Giuseppe di Livorr*
Sani Alceste d' Orbetello

Nell' Italia meridionale l' a. MDCCCLX

Baiocchi Pietro d' Atri — *Mosto Carlo*
Bartolommei Basilio di Pieve di Cont

LA SCOLARESCA DELL' UNIVERSITÀ DI
DEGLI ANNI MDCCCLX-LXI MDCCCLXI
FECE P E ' GLORIOSI NO
A DOCU



